

hil post hæc de §. 8. subjiçio, in quo & de jure viri expressè agitur, & nomen adulterii occurrit, quod propriè in toto contextu usurpatur, non latiore significatione, ut stuprum in specie designet, in quo denique nomen accusatio- nis exprimitur, ad significandam privatam injuriæ persecutionem minus accom- modatum.

Ista profectò sufficerent ad univer- sam controversiam dirimendam. Malo tamen adhuc quædam ex juris ecclesiasti- ci disciplinæ subjicere, ut liqueat, juxta easdem regulas, canonum etiam sacrorum sententias editas fuisse. Rem altissimè re- peto, atque ipsa sacrarum litterarum testimonii profero. In cap. 22. Deute- rononii capitale fuit adulterii crimen cum nupta admissum, pecuniaria verò pena coercitum stuprum admissum cum puel- la, quæ sponsam non haberet. Interea autem definitum fuit, ut capitalis esset pena adversus eum, qui sponsam vio- lavisset, imò & adversus sponsam crimi- ni consentientem; ex quo liquet, cri- men illud potius jure adulterii, quam stupri habitum fuisse. Vetusti Ecclesiæ Patres optinè gnari, adulterium prop- riè dici, quod adversus datam fidem ad- mitteretur, non dubitaverunt eos adul- teros appellare, qui continentiam Deo devotam violavissent; quamquam Au- gustinus rem hanc non adeo subtiliter investigans non adulteros appellare vo- luerit, ne conjugia post simplex, ut ajunt, votum contracta dissolveret, can. 41. caus. 27. quæst. 1. Adulteros appellaverunt Patres Carthaginensis Con- cilli, Cyprianus, & Innocentius I. in can. 1. 4. & 10. caus. 27. quæst. 1., necnon Hieronymus in canone 9., junc- to can. 5. dist. 27. Hac eadem signi- ficatione Christiani Imperatores aliquan- do adulteria dixerunt ea conjugia, quæ Christiani cum Judæis inirent, propte- reaque eadem conjugia, fidem semel Christo in baptisate datam inquinan- di occasionem præberent, l. 6. cod. de Judæis. Equidem fateor, hæc adulte-

ria impropiè dici, & non nisi per quæ- dam symbola; ex quo tamen symbola ex similitudine derivantur, deduci faci- lè potest, mentem Patrum fuisse eam, ut quamcumque violationem fidei con- jugalis adulterium crederent, quando ideo adulteras voto obstrictas puellas fornicantes esse dixerunt, propterea quod contra fidem Deo datam deliquissent. Ad- huc ulterius progressa aliquando fuit Ecclesiæ Græca, quæ non dubitavit, adul- terii notare eum, qui alienam sponsam sibi conjugio sociasset, Ita lego in can. 98. Trullano: *Qui alteri desponsam mulierem, ad- huc eo vivo, cui desponsata est, in nuptiarum ducit solemnitate, adulterii crimini subjiciatur.* Nominè desponsa non uxorem intelligas, sed sponsam, si Græcum canonem vel- lis interpretari cum Interpretibus Græcis Balsamone, & Zonara in notis ad eundem canonem, quibus addere potes Græcum aliud Scholion ex Codice Amerba- chiano desumptum, & à Beveregio edi- tum in notis ad eum canonem; item addere potes Blastæm in Syntagmate Alphabetico littera T. cap. 15. Id sanè Græci receperunt, ut etiam adulter ha- beretur, qui alienam sponsam sibi con- jugio sociaret, quia apud Græcos ob- tinere cæperat, ut Sacerdotali prece spon- salibus benediceretur, quod abiit deinde in generalem disciplinam Græcorum post constitutionem Alexii Comneni, qua ha- betur in fine Codicis Justiniani. Inte- rea tamen observare juvat, si in ea sin- gulari constitutione nihil Græci dixerunt de nota inurenda adulterii in eum, qui extra causam conjugii ad alienam spon- sam accederet, supposuisse ipsos, jam veteribus legibus in violatorem inustam fuisse adulterii notam, quam ad eum extenderunt, qui alienam sponsam sibi matrimonio jungeret. Tantus honor apud Græcos sponsalibus habebatur, tantum- que jus in sponsam deferebatur. Juxta hanc disciplinam scribens Photius in No- mocanone tit. 13. cap. 5. ait, dici in le- gibus, quod adulterii accusatio non solum ob stupratam legitimum conjugem, verum etiam

ds

de instabili, atque illegitimo matrimonio, & sponsalibus, & de concubinato insinuat. Ab his regulis, ubi de sponsa violata age- retur, nullibi constat, Pontifices Maxi- mos deflexisse, imò & si ad rescriptum Innocentii III., quod extat in cap. 25. de jurejurando, respiciamus, liquebit, eundem Pontificem distinxisse violatio- nem soluta puellæ à violatione sponsæ, & licet violationem alienæ sponsæ ex- pressè non nominet adulterium, ex iis ta- men, quæ ibidem definit, pro adulte- rio habuisse videtur. Quærebatur apud ipsum, an sponsus quasi dissolutis spon- salibus, posset dimittere sponsam, quam noverit turpiter fornicatam. Distinxit In- nocentius inter eam, quæ fornicata ante sponsalia fuerat, & eam, quæ post datam sponsalium fidem. In priore spe- cie statuit, non dissoluta fuisse sponsalia, contra dissoluta intelligi in posteriore, quòd in legem conjugii peccavisset. Quid porò differit inter eum, qui committit adul- terium, & inter eum qui peccat in con- jugii legem? Multum autem ex senten- tia Innocentii distabat fornicatio ante sponsalia admissa à fornicatione admissa post sponsalia, nec propterea utraque for- nicatio sub simplicis stupri specie conti- nebatur. Progressus est Innocentius (qua in re visus fuit recepisse maxima in parte novellam constitutionem 93.

Leonis Philosophi) & regulam generalem præstituit, juxta quam quæcumque cau- sæ sufficerent ad dissociandam cohabi- tationem conjugum post conjugium ce- lebratum, eadem sufficerent ad dissol- vendum sponsalium vinculum post con- tracta sponsalia; ex quo deinde conclu- deretur, quemadmodum fornicatio ante datam fidem conjugii admissa ad disso- ciandos conjuges minimè sufficiebat, sed sufficiebat adulterium post contractum conjugium admissum; ita ad dissolven- dum sponsalium vinculum sufficere for- nicationem sponsæ post sponsalia admis- sam, non sufficere fornicationem quæ sponsalia præcessisset. Ista fornicationis post nuptias, & fornicationis post spon- salia admissæ æquabilitas ad eandem propemodum stabilendam disciplinam, satis evincit ex sententia Innocentii, utrumque crimen eadem turpitudine notari, & proinde rectè adulterium dici. Itaque ut paucis singula colligam, liquet satis abundè, violationem spon- sæ alienæ tanquam adulterium habendam esse, sive quòd id in primis suadeat nat- uralis æquitas, sive quòd deinde id consti- tuerint expressè Romanæ leges, qui- bus sanè singulæ criminum species invi- cem fuere discretæ; sive quòd postre- mò id & sacrorum canonum definitio- nibus magis congruere videatur.

DISSERTATIO TERTIA DE PUBLICIS FUTURI MATRIMONII DENUNCIATIONIBUS.

NON est valde antiqua in Ec- clesia denunciationum pub- licarum ante celebratio- nem conjugii faciendarum, quas modo proclamationes, modo programmata, modo francico voca- bulo *banna* vocant, disciplina, cujus sci-

licet, ne initio quidem duodecimi sæ- culi, vestigium nullum adparet, quem- admodum deducitur ex toto Gratiani co- dice eo tempore elucubrato, in quo de eisdem atum silentium est, ut præte- ream antiquiores canonum collectiones. Tantum legitimus apud Gratianum, con-

L 2

suevisse pluries contracta conjugia dissolvi, quòd inter illegitimas personas contracta fuissent, deferentibus ad Episcopum viris probis de calumnia minime suspectis, & iurjurando testantibus, quæ suberant impedimenta, ne aut matrimonium contraheretur, aut contractum adversus leges consisteret, idque potissimum occasione visitationis, cum Episcopus diocesim lustraret, & in diocesanorum mores generatim inquireret, can. 3. & sequentibus caus. 35. quæst. 6., qui canones è collectione Reginonis Prumiensis derivati fuerunt, non tamen omnes illorum sunt auctorum, quibus adscripti à Gratiano fuerunt, quemadmodum mihi jam adnotandum fuit in meis lucubrationibus in Gratianum. Cæpit hæc denunciationum disciplina singularis esse in aliquibus provinciis, sollicitudine Episcoporum quorundam invecata, qui satius duxerunt, palam omnes rogare, de aperiendis, si quæ subessent, conjugii impedimentis, antequam contraheretur, suspenso interea conjugio, quam passim, & sine discrimine quoscumque ad contrahendum admittere, deinde, si impedimentum proderetur, dissociandos. Id viguisse in Belluacensi Provincia sub finem duodecimi, aut sub initium decimertii sæculi, testatur Innocentius III. in cap. 27. de sponsalib., ubi *bannorum* nomen occurrit, quo denunciations significatur. Anno primùm 1215. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato singularis ille aliquot Provinciarum usus generali decreto ad universam Ecclesiam productus est, cap. 3. de clandest. desponsat., quo constitutum fuit, ut cum matrimonia essent contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponerentur, competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponeret, & ipsi Presbyteri nihilominus investigarent, utrum aliquod impedimentum obsisteret; cum autem adparisset probabilis conjectura contra conjugium contrahendum, con-

tractus interdiceretur expressè, donec quid fieri deberet super eo, manifestis constaret documentis.

Cum verò Lateranense decretum decursu temporis negligi cepisset, Tridentini Patres è re Ecclesiæ esse censuerunt, non solum si decretum illud renovarent, sed etiam si novam formam denunciationibus inderent, quemadmodum reverà inderunt, in cap. 1. sess. 24. de Reform. matrim., statuentes, ut, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias publicè denuncietur, inter quos sit matrimonium contrahendum; quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciations tunc vel una tantum denunciatio fiat; vel matrimonium ritè celebretur, deinde ante illius consummationem denunciations in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciations remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta Synodus reliquit. Itaque hoc iure non utimur, quod Concilium Tridentinum invenit, abrogata magna in parte ratione denunciandi, quam Concilium Lateranense definitur, licet aliqua in parte retenta, quemadmodum facile dignoscitur ex collatione tum dicti capituli 3. de clandest. desponsat., tum dicti capituli 1. in Concilio Tridentino; atque hoc est, quod adfirmaverunt ibidem Tridentini Antistites, se Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhasisse.

Agedum explicemus Tridentinam sanctionem, ex qua recens juris ecclesiastici prudentia pender. Ajunt Tridentini Patres, se ita faciendum præcipere. Ergo denunciations adeo ad formam

con-

contrahendi conjugii pertinebant, ut si etiam sine causa omittantur, nullaque accedente Ordinarii dispensatione, matrimonium omnino irritum sit habendum? Id quidem venire in disputationem potuit statim absoluto, publicoque Tridentino Concilio, præsertim apud eos, qui generaliter tradere voluissent, irritum esse quod lege prohibente fiat, juxta legem 5. cod. de legibus. Verum hodie frustra disputaretur, ob receptam, quæ nemini amplius dubitationem facit, Tridentini decreti interpretationem quotidiana etiam praxi firmatam, quæ conjugium ita contractum tanquam illicitum damnat, non tanquam irritum dissolvit: neque generalis regula laudatæ legis 5. in conjugiorum materie in iure præsertim ecclesiastico unquam obtinuit; tum demùm enim matrimonia contra leges ecclesiasticas contracta pro irritis existimantur, quando prohibenti legi decretum irritans adnexum est. Jamdiu Romani veteres statuerant, in conjugii servandum esse, non tantum quod liceret, verum etiam quod foret honestum, l. 42. ff. de ritu nuptiarum; eamque ob rem licitum ab honesto distinguere etiam in eo possumus, quòd dicamus illicitum quodcumque conjugium à lege penitus irritatum, dicamus autem licitum, sed inhonestum quodcumque conjugium non legibus irritatum, sed indecorum à legibus habitum, quemadmodum jam olim erant nuptiæ intra luctus tempora celebratæ, argumento l. 1. cod. de secund. nupt. Non est heic locus generali disquisitioni, ut observetur, quandonam leges matrimonium irritavisse, quandonam improbavisse quidem, non irritavisse credantur. Opportunius hæc tractabitur in sequente dissertatione. Tantum noto ad hanc rem, Patres Tridentinos irritum non declarasse conjugium omissis denunciationibus contractum, quod sufficit, ut concludamus, improbata quidem fuisse ea conjugia, non irritata. Reverà in eodem ipso capite 1. Tridentino cautum præterea fuit, ut con-

jugium celebretur præsentè Parocho, & duobus saltem testibus; quum verò voluissent Tridentini Antistites, aliter celebratas nuptias irritas fore, decretum irritans adjecerunt, ibi: *Qui aliter, quam præsentè Parocho . . . & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddidit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, &c.* quam decreti, ut ajunt, irritantis clausulam cum omissa viderent, ubi de denunciationibus ageretur, jure optimo jam collegerunt veteres Concilii ejusdem Interpretes, adhuc omissis denunciationibus matrimonium utut illitè contractum consistere. Addo his, Patres Tridentinos ita de denunciationibus locutos fuisse, ut non solum illarum numerum, sed & illas universas pro personarum, causarumque adjunctis voluerint à Ordinariorum prudentia pendere. Ita profectò factum non esset, quoties denunciations pro forma, ut vocant, essentiali matrimonii celebrandi habitæ fuissent, quibus omissis matrimonium non consisteret. Denique professi sunt Tridentini Antistites, se in statuenda denunciationum obligatione secutos fuisse Concilii Lateranensis sententiam, à qua sanè non recessisse præsumendi sunt, nisi in eo, quòd specialiter expresserunt. At in Concilio Lateranensi suprà laudato non fuit irritum habitum omissis denunciationibus contractum conjugium, quemadmodum & disciplina post idem Concilium Lateranense recepta demonstravit, & faciliè colligitur ex formula Lateranensis decreti in dicto cap. 3. princ. de clandest. despons. Nemini fortè difficultatem faciant verba 5. *Si quis verò, in quo pena statuitur adversus eos, qui contra Lateranense decretum, id est omissis denunciationibus, contraxissent, qua fiat, ut liberi ex eo conjugio geniti illegitimi habeantur.* Id refertur non ad causam denunciationum omissarum, sed ad causam gradus prohibiti, uti indicant verba illa in gradu

pro-

prohibito, quasi non ideo filii illegitimi sint, quod omisæ denunciations fuerint, sed quod qui contraxissent, non essent ad contrahendum idonei. Dices: Cui igitur bono erit ea pœnalis sanctio Lateranensi decreto adjecta, quando verum est, illegitimos etiam esse liberos in gradu prohibito susceptos, utur factis denunciationibus? Rogo eum, qui ita me compellaret, ut observet, ex conjugio contracto in gradu prohibito ignoranter, licet conjugium irritum sit, liberos tamen susceptos legitimos nasci, cap. 2. qui fil. sint legit., prætexit enim legitimam liberorum nativitatem parentum ignorantio. Et quidem id verum est, ubi ignorantio parentum vacet culpa; secus ac contingat, ubi ignorantio eorumdem nullam habeat excusationem. Porro si quis contrahat omissis denunciationibus, & quidem in gradu prohibito etiam ignoranter, est de culpa redarguendus; quoniam si denunciations fieri curavisset, facile impedimenti notitiam habuisset. Itaque jure optimo caverunt Patres Lateranenses, liberos illegitimos nasci ex conjugio omissis denunciationibus contracto in gradu prohibito etiam ignoranter, quin exinde deduci valeat, unam omissionem denunciarum per se contractum conjugium pœnitens irritare.

Ter à proprio contrahentium Parocho denunciations faciendæ sunt. Quid ergo, si sponsus, & sponsa non in eadem Parochia habitent, sed unus ad unum, alter ad alterum Parochum pertineant? Non sanè sufficere, fieri illas ab uno Parocho sponsæ, vel sponsi, quemadmodum sufficit coram uno tantum matrimoniam contrahi; sed ab utroque Parocho erunt faciendæ, quod conformitas in primis esse videtur laudato Lateranensi decreto, in quo in plurali mentio fit Parochorum in iis verbis *per Presbyteros*, deinde conformis est menti Tridentinorum Patrum ed tendenti, ut, quoad fieri possit, nulla omittatur sollicitudo, ne matrimonium inter personas inidoneas contrahantur. Hinc Parochus ille, ad quem

spectat celebrando matrimonio interesse, non primùm intererit, quam constet, factas esse etiam in Parochia illius, qui sibi obnoxius non est, denunciations. Contingit aliquando disputari, quisnam sit proprius contrahentium Parochus, ex eo, quod frequenter eveniat, sponso ex mutatione domicilii modò uni, modò alteri Parochiæ subesse. Ego non dubito, servandas esse in hac re regulas generales, quæ traduntur in materia juris contracti domicilii; proindeque eum esse proprium Parochum, à quo faciendæ sint denunciations, in cuius Parochia ita sponsi domicilium suum constituerunt, ut non videantur animum illinc abscedendi habere. Quid ergo, si quisquam duo habere videatur domicilia, quemadmodum esset, qui dimidiam anni partem in una, dimidiam in altera Parochia transigeret? Tutius mihi videtur, utrobique faciendæ esse denunciations, præsertim si Parochiæ illæ admodum distatæ essent, ne fortè contingat, eum, qui in una Parochia jam uxorem duxit, alteram in altera Parochia ducere. Difficilius esset desinire, quid agendum Parocho sit, ubi vel duo vagantes, qui nullum determinatum habent Parochum, sese matrimonio conjugendos sistant, vel unus, qui vagatur, petat nuptias contrahere cum ea, quæ in Parochia degit. De his singularis est Concilii Tridentini definitio in cap. 7. sess. 24. de Ref. matr. qua moniti fuerunt ii omnes, ad quos spectat, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipient; Parochis etiam præceptum est, ne illorum matrimonii intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Non dubito tamen, quin si fortè vagæ istæ personæ ab aliquo Parocho contra Tridentini Concilii constitutiones jungerentur, validum matrimonium diceretur, licet Parochus Tridentino decreto inobediens Ordinarii arbitrio puniri posset.

Præterea tribus consuetis diebus festivis de-

denunciandum est. Nemo id ita intelligat, quasi festivi dies ita juncti esse debeant, ut nullo intermedio feriato die alter alteri succedat; imò hoc ipsum esse videretur adversus Tridentini Concilii mentem, quæ sanè ea fuit, ut illi, qui denunciationem excipiunt, tempus habeant congruum ad meditandum, investigandumque, num conjugio palam proposito aliqua sint impedimenta. Connuos festivos dies dixerunt, ne inter unam denunciationem, & aliam diuturnum tempus efflueret, ex quo qui secundam ex. gr. audivit, jam potuit primam verosimiliter oblivisci. Quamobrem si fortè contingat, uno die festivo Parochum fortè memoria lapsus, post jam factam primam aut secundam denunciationem, omissis tertiam, non puto, adeo rigidam interpretationem esse adstringendam Tridentino decreto, ut singulæ denunciations renovandæ sint, quasi nullæ eo usque factæ fuissent. Nomine dierum festivorum intelligimus dies festivos ex præcepto Ecclesiæ; illos nimirum, quibus frequens esse solet fidelium concursus ad Ecclesiam; qua in frequentia facilius Parochus investigare possit, si quæ sunt propositi conjugii impedimenta. Nemo profectò in contrarium proferat rescriptum Alexandri III. in cap. 3. de tempor. ordin., in quo cum legatur, Dominicis, & aliis festivis diebus Clericos posse in minoribus ordinari, nonnulli scripserunt, nomine dierum festivorum non intelligi dies festivos de præcepto. Ut enim omitam, non adeo securus esse posse istos Interpretes, ut neminem inveniunt, qui contradicat, & quidem ex gravissimis juris ecclesiastici cultoribus; satis erit observare, finem Tridentinorum Patrum illud postulavisse, qui aliàs obtineri non poterat, nisi nomine festivorum dierum intelligerentur festivi de præcepto. Non defuerunt, qui putarent, fieri etiam posse denunciations diebus minimè festivis, quotiescumque talis emergeret dies, quo frequentissimus esset, & festivo similis con-

ventus populi ad Ecclesiam, quasi tamen menti Tridentini Concilii, si non verbis, satisfactum esse videatur. Ego non puto, adeo latam Tridentini Concilii interpretationem, quæ manifestè ejusdem verbis refragatur, tutum Parochum posse reddere; satius proinde erit, tunc à denunciationibus abstinere; secus periculum esset grave, ne frequentia ejusdemque prætextu facile sibi Parochi blandirentur, & paulatim Tridentini Concilii disciplina negligenter, aut etiam omninò corrueret, quemadmodum ex defectu Parochialis sollicitudinis olim corruerat disciplina Concilii Lateranensis, ita docente quotidiana rerum humanarum experientia, quæ testatur, relaxato paulisper legum rigore, paulatim & sensim leges ipsas pœnitens aliquando interire.

Prosequuntur Tridentini Patres, & ajunt, in Ecclesia inter Missarum solemnias publicè denunciations fieri oportere. In Ecclesia primùm, id est in loco sacro ad conventum populi destinato, sive illa sit Ecclesia ipsa Parochialis, sive alia quæcumque intra Parochiæ limites constituta, ad quam Missæ solemnissimè celebrandæ causa populum Parochus advocaverit, populusque de more convenit. Adiditur inter Missarum solemnias, in iis enim solet celebrari esse conventus populi, sive eadem celebrentur ab ipso Parocho, sive ab alio nomine Parocho cum eadem solemnitate; neque enim repugnat, Parochum uti celebrationem matrimonii, ita etiam denunciations faciendæ alteri Sacerdoti mandare. Si quæratur, an, ubi Ecclesia Parochialis sit simul, & Conventualis, Missarum solemnias ea dicantur, quæ à Parocho, an ea, quæ à Conventu, seu à Capitulo celebrantur, nulli id desinitum novis; quum autem varii in hac re sint Ecclesiarum mores, facile concludendum est, parendum esse consuetudini in unaquaque Ecclesia recepte; optandum autem semper, ut id in praxi servetur, quo denunciations tunc fiant, cum facilius Tridentini decreti finis obtineatur, nimirum quum

frequentior est populi concursus. Quamobrem improbare non audeo illorum opinionem, qui putaverunt, dignis de causis à Parocho denunciationses omitti posse in Missarum solemnibus, ut ad aliam publici conventus eodem die habendi majorem celebratam, atque frequentiam transferantur. Fortè dices, me heic non insistere in principiis superius positis, quando tradebam, ita Parochum denunciare debere diebus festis de præcepto, ut nequeat denunciare diebus non festis, licet tales sint, in quibus maxima sit, & festiva similis populi ad Ecclesiam accessio. Diversa hæc potius sunt, quam contraria. Etenim quidquam facilitis indulgendum Parochis puto, ubi differendæ sint denunciationses de crastino ex. gr. in vespas, quia non tantum in hoc proposito Tridentinorum Patrum scopus attenderetur à Parocho differente, verum etiam nulla exinde subesset occasio, paulisper & sensim recedendi à Tridentina definitione. At si illud amplius Parochis concederetur, ut etiam diebus non festis de præcepto denunciare valerent, quamquam tum fortè scopus Concilii attenderetur ob magnam populi frequentiam, paulatim tamen & sensim disciplina Concilii in desuetudinem abire posset, quoniam facile esset frequentiam illam popularem præterere; præterquamquod ubi in Missarum solemnibus omittuntur denunciationses, & fiunt in vespas, esset hæc denunciationum dilatio, & mera translatio; at ubi etiam aliis diebus non de præcepto festis fierent, non differrent illæ, sed citius perficerentur. Dicitur *publicè*, videlicet, ut inter denunciandum ita recitentur futurorum conjugum nomina, & agnomina, aut cognomina, ac patria indicetur, & significetur expressè eorum voluntas de matrimonio contrahendo, ut omnes, qui adsunt, commodè quid denunciaret, intelligant, & facile possint, si quod norint subesse, pandere impedimentum.

Factis denunciationibus, proceden-

dum esse ajunt Tridentini Antistites ad conjugii celebrationem, quod ita prudenter intelligendum est, ut neque statim post tertiam factam denunciationem iniri conjugium possit, neque post eandem in diuturnius tempus differri. Quod tempus expectandum sit, neque in Lateranensi, neque in Tridentino Concilio definitum est: igitur erit prudentis viri arbitrio à Parocho definendum, nimirum tantum, quantum sufficere videtur ad hoc, ut, qui denunciationses exceperunt, possint, si quæ subesse noverunt, impedimenta proferre; quamobrem, quoties dispensatione Ordinarii contingit, ut non tres, sed una tantum vice omnium fiat denunciatio, prudentissimè ager, qui longius quoddam tempus, ex. gr. trium saltem aut quatuor dierum, expectandum diceret. Vulgò traditur, generaliter ubi tres factæ denunciationses proponuntur, expectandum esse, donec saltem lapsus sit dies, quo postrema denunciatio facta est. Id passim in Synodis Episcoporum determinari solet, in quarum aliquibus reprobata novi illorum disciplinam, qui sub vespas diei postremæ denunciationis sponsos ad contrahendum admittunt; in aliquibus receptam simpliciter, in aliquibus receptam tum demum, quando instet dies claudendarum, ut ajunt, nuptiarum, & aliis sponsis solemnitate conjugii interdiceretur, si in longius tempus nuptiæ differrentur. Quamobrem non dubitatum est, quin in hac parte standum sit receptis in unaquaque diocesi moribus, & disciplina. Idem dicendum erit de tempore, ultra quod post denunciationses conjugii celebratio non differatur: etenim neque hoc abs jure determinatum est, sed potius pro diocesanon diversitate in Synodis particularibus diversa ratione finitum, alicubi, & ut plurimum, intra bimestre coarctatum, quod consonat regulis Romani Ritualis tit. de Sacramento matrimonii, in quo ita legitur: *Si verò intra duos menses post factas denunciationses*

denunciationses matrimonium non contrahatur, denunciationses repetantur, nisi aliter Episcopo vultur, alicubi ad quadrimestre prorogatum, uti testatur Barbosa de offic. & pot. Episc. allegat. 32. num. 55., quo elapso termino, si sponsi de incedendo matrimonio cogitent, non erunt amplius admittendi à Parocho, nisi iterum ad novas denunciationses deveniantur, aut nisi super novis denunciationsibus faciendis fuerit ab Ordinario dispensatum; evenire enim potuit, ut intra illud tempus, quod sponsi præterlabi voluerunt, nova quædam emerissent impedimenta, quibus matrimonium contrahi prohibeatur.

Concludunt Patres Tridentini, si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tor præcesserint denunciationses, Ordinarii prudentiæ & judicio relinqui, vel unam tantum pro omnibus denunciationsem faciendam indicare, vel permittere, ut primum contrahatur in Ecclesiæ conspectu conjugium, deinde ad denunciationses ante consummationem matrimonii deveniantur, vel demum omnino à denunciationsibus dispensare. Ex his multa colliguntur; & primò quidem apparet, Ordinario concessam tantum fuisse facultatem à denunciationsibus dispensandi, vel in tempus matrimonii contracti denunciationses differendi; non verò alias imutandi denunciationsum formam, ut ex. gr. fiant denunciationses extra Parochiam, vel diebus feriatis. Secundo totam hanc dispensationem ab Ordinario pendere, nihilque præterea Parochi unius arbitrio concessam fuisse, cum Parochus in eo Tridentino decreto non veniat nomine Ordinarii, imò & in eodem capite 1., expressè Tridentini Patres Parochum ab Ordinario distinxerint; etenim dum infra constituerunt, benedictionem matrimonialem esse à proprio sponsorum Parocho petendam, addiderunt, *neque à quocumque, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam*

Tom. III.

alii sacerdoti concedi posse. Tertio ego non dubito, quin dispensatio obtineri jure possit à Vicario Episcopi generali, dummodò in litteris Vicarius eam facultatem sibi expressè Episcopus non reservaverit. Etenim in Tridentino Concilio nomine Ordinarii non excluditur Vicarius Episcopi generalis, utpotè quæ una quodammodo persona cum Ordinario ipso censetur, & eandem jurisdictionem exercet. Quidquid enim in sess. 24. cap. 6. de Ref., quando Concilium Tridentinum certam absolventi facultatem concedendam Episcopis voluit, non illorum Vicariis, expressè id cavet in illis verbis: *Est tantum, non eorum Vicariis sit permissum?* Quarto nomine Ordinarii intelligimus etiam eos, qui Episcopi non sunt, dummodò gaudeant jurisdictione quasi Episcopali, & sint, ut Pragmatici vocant, nullius diocesis, isti enim propriè Ordinarii etiam nomine appellantur. Id tamen verum est, si verbis Tridentini Concilii tantum inharendum sit. Ceterum recens disciplina aliud invexit, quibus in locis receptæ fuerunt Pragmaticorum traditiones Tribunalium præjudicii confirmatæ. Quintò colligitur, non aliter ab Ordinario deveniendum esse ad dispensationem denunciationsum, quam si justæ, ac probabiles dispensandi causæ fuerint. Anne verò istæ probandæ erunt in figura judicii, an potius sufficiat, extra judicii formam esse Ordinario notas? Quicumque considerabit verba Tridentini Concilii, quibus totum relinquuntur *prudentiæ & judicio* Ordinarii, facile intelliget, non requiri, causas instituta judicii formæ probari; etenim quoties eam judicii formam institui voluerunt Tridentini Antistites, aliis urgentioribus verbis usi sunt, quemadmodum in capite 7. sess. 14. de Ref. ibi: *Episcopo qui nominis causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.* Junge caput 18. sess. 25. de Ref. Ex quo inferitur, hanc dispensationem, cum sit actus voluntariæ jurisdictionis, con-

M

ce-

cedi posse ab Episcopo extra diocesim constituto. Sexto, quamquam in Tridentino Concilio legitima dicatur dispensandi à denuntiationibus causa, si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, nihil tamen impedit, quominus & alias justas causas esse admittamus, quando Tridentini Patres totum prudentiz, & iudicio Ordinarii reliquerunt. Quid enim ex. gr., si ex denuntiationibus publicum scandalum oriretur, quod eveniret, si duo, qui publicè habebantur tanquam conjuges, & reverà tales non essent, ad contrahendum deinde conjugium adducantur? In his, aliisque similibus causarum adiunctis poterit Ordinarius interponere officium suum, dummodo illud semper in conspectu habeatur, legem Tridentinam maximè utilem republicæ non esse temerè, & ex nulla, aut levissima causa insuper habendam. Septimò etiam infertur, Ordinarium certis in casibus non solum dispensare posse à denuntiationibus, sed etiam teneri; quamquam enim dispensatio quælibet pendeat ex gratia concedentis, ubi tamen illa abs jure arbitrio Ordinarii committitur, quandam habere videtur aliquando justitiæ imaginem. Dixi certis in casibus, nimirum quotiescumque gravissimæ adsunt conjecturæ, futurum, ut per denuntiationes ex quorundam malitia matrimonium ceteroqui non injustè contrahendum impediatur. Non tamen adeo res sese habebit, ut, si Ordinarius dispensare detrectet, liceat uti appellationis remedio; id enim locum habet tantummodo in causis, in quibus res instar iudicii ordinatur, non ubi conscientia Episcopi tota remittitur; quamquam verò si contracturis videatur omninò manifesta Ordinarii iniquitas, & pervercia in dispensatione indulgentia, licebit ipsis per modum, ut ajunt, querelæ rem ad Superiorem deferre, & ab eo, quod utilius, & convenientius esse videatur, expectare. Porro Superioris partes ex esse

poterunt, ut primùm, si causa id expostulet, Ordinarium commonefaciat, deinde etiam juris remediis adigat ad dispensandum. Octavò animadvertendum est, quotiescumque Ordinarius indulgeat, aut duas tantùm, aut unam pro omnibus denuntiationem fieri, Parochum denuntiantem teneri ad indicandum publicè, quo qui fortè impedimentum noverint, non facilè sibi blandiantur, sibi adhuc tempus superesse, quo latens matrimonii impedimentum aperiant. Non observandum est, quod in Concilio Tridentino definitum fuit, interdum denuntiationes fieri post conjugium in conspectu Ecclesiæ celebratum, dummodo interea sponsi continentiam servent, usu vix fuisse aliquando receptum, quia Episcopi data occasione dispensare potius omninò à denuntiationibus voluerunt, quam ita sponsorum conjunctionem cum frequenti peccandi periculo interdicere. Decimò denique arbitror, non esse inverosimile, quando agitur de conjugio contrahendo inter diversæ diocesanos personas, sufficere dispensationem denuntiationum ab Ordinario obtineri diocesis illius, in qua sit matrimonium celebrandum, quin opus sit, alterius etiam Ordinarii dispensationem accedere; ne aliàs mens Tridentinorum Patrum effectus suo frustretur, dum ideo denuntiationes arbitrio Ordinarii remitti posse statuerunt, quod ex dilata matrimonii celebratione multa venire incommoda possent, quibus sanè non satis obviam iretur, quoties utriusque Ordinarii esset dispensatio expectanda. Vel una hæc ratio sufficere posset, ut hæc definitio momento gravissimo valeat; ex ea enim statim intelligimus, non aliam fuisse mentem Tridentinorum Patrum, cum Episcopo dispensandi facultatem apertissimis verbis fecerunt. Verùm ut adhuc Tridentini Concilii sententia in clariore lumine collocetur, animadverto, æquè in eodem fuisse definitum ut Ordinarii prudentia, ac iudicio relinquere tur denuntiationes remitti, quoties ipse ex-

pe-

pedire judicaverit, ac definitum fuerit, nuptias esse *presente Parocho* celebrandas: quemadmodum ergo verba illa *presente Parocho* ex probata interpretatione, ac quotidiana praxi firmata, non ad utrumque Parochum referuntur, quoties sponsi duobus Parochis subsunt, quid obstat, quominus verba illa *Ordinarii prudentia ac iudicio*, non referamus ad utrumque Episcopum, si duobus Episcopis obnoxii fuerint contrahentes? His accedit, considerandam esse matrimonii unitatem, & individuum rationem; hæc enim in causa est, ut dispensatio uni ex contrahentibus concessa, alteri prodesse necessariò debeat. Reverà dispensatio denuntiationum non confertur in contrahentium personas, sed ad ipsum conjugium in diocesi contrahendum dirigitur. Quemadmodum enim denuntiationes ad solemnitatem conjugii pertinent, ita dispensatio, qua denuntiationes omittantur, extendit, ut conjugium contractum minus solemne dicatur. At moderari qualitates rerum, quæ rebus eisdem insunt ex præscripto legum, ad eum pertinet, in cuius diocesi res agitur, nulla habita ratione personarum agentium, sive diocesano subsint, sive non subsint. Quòd si, ubi de vagis agitur, iis nimirum, qui nullibi habent certam, determinatamque sedem, quique propterea non aliter Episcopo subsunt, quam quòd per ejus diocesim transcant, nihilominus tamen Tridentini iidem Patres declaraverunt, si matrimonium ab illis sit contrahendum, rem universam moderandam esse ab eo Episcopo, per cuius transeunt diocesim, sess. 24. de Ref. matr. cap. 7., idque non alia sanè ratione, quam quia matrimonium ipsum est in diocesi celebrandum; nonne potiore jure universam rem moderandam ab uno Episcopo concludemus ex Concilii Tridentini mente, quando unus ex contrahentibus subest ordinariæ ejusdem Episcopi jurisdictioni? Hinc puto, satisfieri abundè iis, qui contrà sentiunt, dum opponunt, Episcopum dispensantem suæ jurisdictionis

fines transgredi, dum in non diocesano dispensat; statim ac enim dispensatio dirigitur in conjugium ipsum, quod in diocesi celebratur, non in personas nisi secundariò, & per consequentiam, uti scholæ loquuntur, difficultas omnis evanescit, eodem modo, quo non transgreditur fines officii sui Parochus, dum sponsum non Parochianum cum Parochiana sponsa matrimonio jungit. Quòd si opponatur adhuc, in denuntiationibus faciendis requiri, ut eadem in utraque Parochia, & diocesi fiant; id ultro admittimus, non tamen exinde colligi potest, quoties sit à denuntiationibus dispensandum, utriusque Ordinarii auctoritatem requiri. Etenim finis faciendarum denuntiationum is est, ut de impedimentis, si quæ fortè subsint, constare valeat, de quibus sanè non satis constare posset, si illæ in alterutra Parochia omitterentur. At finis indulgentie dispensationis aliò pertinet, eò nimirum, ne si diutius matrimonium differat *matrimonium malitiosè impediri posset*, quemadmodum Tridentini Patres apertè professi sunt. Hunc autem finem quomodò contrahentes obtinerent, si diutius expectandum ipsis esset, donec ab Episcopo in remota fortè provincia residente dispensaretur? Ecquidem verum est, cautius in hac specie progressi ad dispensandum diocesanos debere, nimirum quando apertè liqueat legitimis testimoniis, non diocesanos nullo impedimento detineri, quominus matrimonium contrahat; ut interea Episcopus liberè poterit indulgere dispensationem. Quid verò fusius rem istam persequar, quando hæc definitio, nemine ferè dissentiente, apud omnes generatim Pragmaticos recepta est, & posita omninò in prudentia vulgari? Ita Carolus Malletus in lib. 4. de Hierarchia, parte 1. tit. 13. num. 8., Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 7. num. 7., Barbosa de offic. & pot. Episc. allegat. 32. num. 35. cum ibi laudatis, Vincentius de Justis de dispens. matrim. lib. 2. cap. 19. num. 150. & 151. cum ibi lau-

dati, atque, ut alios innumeros omit-
tam, Concina lib. 2. de matrim. diss. 2.
de sponsal. cap. 3. quæst. 3.

Tradidi in his perspicuam, & ana-
lyticam Tridentini decreti interpretatio-

QUÆSTIO I.

De obligatione, qua unusquisque impedimenti matrimo- nii conscius ad idem impedimentum Ecclesiæ pro- dendum adstringitur.

Satis est intelligere Lateranensibus primùm, deinde Tridentinis Patri-
bus maximè cordi fuisse, ante conju-
gii celebrationem publicas denunciatio-
nes in Ecclesia fieri, ut deinde perspi-
cuè colligamus, fidelibus omnibus, ad
quos futuri conjugii noticia pervenit, obli-
gationem imponi, qua, si quod ipsi no-
runt matrimonii impedimentum inesse,
illud Ecclesiæ pandant. Cui enim bono
saluberrimæ de denunciando constitutio-
nes essent, quando eisdem secutis nemo
ad patefacienda, quæ subesse nove-
rit, impedimenta adstringeretur? Fit in
denunciationibus legitima auctoritate Ec-
clesiæ generalis totius populi interrogatio,
quasi testium; in qua specie testes omnes,
quod sciverint, pandere debent, cap. 6.
de testibus cogendis, cap. 7. de cognat.
spirit. Nemini profectò negotium fa-
cessant verba illa Lateranensis decreti in
cap. 3. de clandest. despons. *qui volue-
rit, & valuerit*, quasi Lateranenses An-
tistites in voluntatem audientium denun-
tiationem contulerint, nullam autem in-
rulerint obligationem. Etenim verba illa
qui voluerit, non eò pertinent, ut libe-
rum esse credatur denunciare, sed po-
tius eò, ut aboleretur in hac parte ve-
tus disciplina, juxta quam, tradebatur,
neminem admitti ad matrimonium ex
causa cogitationis accusandum, nisi qui
de cognatione contrahentium esset, qua-
si iis, non extranei, apprime conscius

nem. Aliquæ adhuc supersunt breves eno-
dandæ quæstiones, quibus proposita pu-
blicarum denunciationum materies ab-
solvatur.

cognitionis esse præsumeretur, can. 1.
2. & 3. caus. 35. quæst. 6., cap. 3. qui
matrimon. accusare. Noverant Latera-
nenses Patres, multum differre inter ac-
cusationem, & denunciationem; nam ac-
cusatio in publicum judicium matrimo-
nium deferrebat, quod ne temerè fieret,
cavendum erat, ne accusatores quicum-
que admitterentur, sed tantùm ii, quo-
rum testimonium gravissimum haberetur,
& certum. At denunciatio tantum-
modo cautiore redditura erat Parochos,
& Episcopos, ut ipsi in personas con-
jugum solertius inquirerent; eamque ob
rem operæ pretium fuit, quocumque
ad denunciandum admittere. Itaque ver-
ba illa *qui voluerit*, hunc sensum habent,
ut nemo à denunciando excludatur, non
ut nemo invitus ad denunciandum obli-
getur. Non defuerunt, qui consciis im-
pedimentorum liberos ab omni obliga-
tione dimittendos suspicarentur, quoties
tale proponeretur impedimentum, ex cu-
jus delatione crimen aliquod grave à con-
tracturis ipsis, vel alterutri ipsorum
admissum detegeretur; quemadmodum
contingeret, ubi sponsus viduam duc-
turus esset, sponsique ipsi pactione de fu-
turo conjugio facta, mortem prioris con-
jugis procuraverunt; aut ubi inter ipsos
sponsos adfinitatis vinculum ex injusta
conjunctione proficiscens intercederet.
Non diffiteor: graves istæ sunt causæ,
in quibus detegendis opus est matura de-
li-

liberatione. Non ideo tamen à delatio-
ne prorsus abstinendum erit, ne pro-
borum hominum clementia, & charitas
eòsque protrahatur, quò jura publi-
ca tot, tantisque ecclesiasticorum Patrum
vigiliis, ac laboribus sanctissimè firma-
ta effræni improborum ausu violentur.
Impùtent ipsi sibi, qui gravissimorum
criminum conscii interdicta sibi conju-
gia inire meditantur, & leges sanctissi-
mas fallunt, quibusque non satis fuit,
pudenda crimina perpetravisse, sed lu-
bet ulterius, non in matrimonio dixe-
rim, sed in incestis, adulterinisque con-
junctionibus perpetuò manere. Deferen-
tes satis excusat, imò etiam laudabiles fa-
cit legum sanctarum justissimus zelus,
quo, ubi accedit ecclesiastici superio-
ris jure consciis interrogantis præcep-
tum, unumquemque corripit non tam de-
bet, quàm necessarium est. His accedit,
denunciantis officium non eò spectare,
ut de admissio crimine vindicta suma-
tur, sed ut in posterum caveatur, ne
alia crimina per incestas conjunctiones
admittantur, quod vergit etiam in pri-
vatam illorum, qui contrahere meditan-
tur, utilitatem. Quòd si quis adeo ad-
huc hæret, ut cum sponsis humanius
agendum putaret, licebit sanè ipsi pri-
vatim ipsos contracturos commonefacer-
re, imò etiam terrere, conscios illos ren-
dendo futurum, ut, si non abstineant
ab illicitis nuptiis, ipse suæ obligati-
oni denunciando satisfaciatur; dummodò ta-
men nihil interea sollicitudinis omittat-
ur, ne Ecclesia suo sine frustretur: li-
cebit etiam ipsi, imò consultissimum erit,
ita apud Parochum impedimentum, quod
ipse noverit, aperire, ut Parochum Ro-
manæ Penitentiarie rescripto non com-
prehensus dispensationem, seu absolu-
tionem afficere posse significat; quasi li-
teræ penitentiales non tantum impedi-
tos sponsos idoneos reddant, sed etiam
omnes de populo ab obligatione denun-
ciandi liberent. Adde his, in dispensa-
tionibus hujusmodi indulgendis esse eam

procedatur. Hæc omninò vera sunt, si-
ve impedimentum sit occultum, sive pu-
blicum, sive quasi publicum, id est pu-
blico quodam rumore vulgatum, sive
quisquam impedimentum noverit indu-
biis, certisque de causis, sive tantùm ab
aliquo audiverit impedimentum subesse;
imò etiam si unus tantummodo sit cons-
cius impedimenti, qui propterea illud
subesse probare non possit, nihilominus
tenetur; quia licet ex ejus delatione non
statim certum esse incipiat, impediri
conjugium, tamen occasione exinde
accipit Parochus, ut magis magisque rei
veritatem scrutetur, deliberetque ea me-
liore, qua potest, ratione, an matrimo-
nium celebrari permittat, an potius ve-
tet, cap. 27. de sponsal. Denunciatio
isthaec non est judiciaria, neque ad for-
um publicum, ac contentiosum perti-
net, in qua propterea sit opus denun-
tianti, in causam inscribere more ac-
cusatoris, & rem probare. Potius spectat
admonitionem quandam, & privatam Pa-
rochorum notitiam, qua dum Parochi
utuntur, caveant sedulo, ut ab illicitis
conjugiis abstinatur. Difficilius est def-
finire, an teneatur quisquam impedimen-
tùm deferre, quoties noverit, sponsos
dispensationem impedimenti in foro tan-
tùm interno à Romana Penitentiarie ob-
tinuisse. Non defuerunt, qui à deferen-
di obligatione ea in specie conscium li-
beratum voluerunt, quasi tunc cesset le-
gis publicæ finis. Ego tamen plurimùm
veroeo, ne hæc opinio, licet quandam
æquitatis speciem præferat, absolutio-
num, seu dispensationum penitentiarum,
quæ tantummodò penitenti prosunt, na-
turam satis exprimat; dum alios etiam Ro-
manæ Penitentiarie rescripto non com-
prehensus dispensationem, seu absolu-
tionem afficere posse significat; quasi li-
teræ penitentiales non tantum impedi-
tos sponsos idoneos reddant, sed etiam
omnes de populo ab obligatione denun-
ciandi liberent. Adde his, in dispensa-
tionibus hujusmodi indulgendis esse eam

Romana Penitentiarum sententiam, ut rescripto nihil immutetur ex iis, quæ ad externum pertinet Christiana Reipublicæ cultum. Quam igitur deferendi obligatio, utpotè denunciationum sequen-

la, pertinentiam ad externum Christianæ Reipublicæ cultum, eadem Romane Penitentiarum rescripto nullo modo dissoluta censebitur.

QUÆSTIO II.

Quid agendum sit Parocho, qui ex una Sacramentali Penitentium Confessione novit, contracturos non esse jure ad contrahendum idoneos?

Nemo ignorat, qua legis severitate adstringatur, quicumque Sacramentalem fidelium confessionem excipiat, ne secretum ullo modo prodatur, ne secretum ullo modo prodatur, can. 2. de pœn. dist. 6., cap. 12. in fine de pœn. & rem. Fingamus tamen, Parochum ad celebrationem matrimonii advocatum nosse ex sacramentali ipsorum fortè contrahentium confessione, subesse inter eosdem legitimum impedimentum, ne matrimonium contrahatur; putà, quòd acceperit à vidua secundò nuptura, aut ab eo, qui illam ducturus est, primum conjugem fuisse necatum ab ipsis inveniendi matrimonii causa; aut quòd acceperit, affinitatis vinculum ex illicita conjunctione profectum inter contracturos intercedere. Quoties ea sacramentalis confessio præcesserit, nihilominus tamen ii, de quibus agitur, publicè matrimonio se jungi postulant, non est dubitandum, quin Parochus de more, & juxta consuetum ritum adesse nuptiis, ac benedicere debeat; habetur enim, ac si impedimentum prorsus ignoret, qui impedimentum ex sacramentali tantum confessione cognovit; aliàs etiam regula est, iis, quorum privata delicta sunt, non esse Sacramenta publicè deneganda; uti enim Theologi ajunt, licèt peccatores occulti jus non habeant Sacramenta petendi, utpotè quæ petunt indignè, jus tamen habent, ut sibi publicè petentibus

Sacramenta non denegentur, argumento canonis; caus. 6. quæst. 2., & cap. 4. de tempor. ordinat. Hoc adeo verum est, ut ne possit quidem Parochus privatim alterutrum ex contracturis quocumque prætextu ad se accire, eundemque licèt sibi aliàs confessum monere, in memoriam, quòd ille admitterat, revocando; hoc enim semper esset sacramentalis secreti religionem modis omnibus cautissimè custodiendam violare, cap. 2. de offic. jud. ordin. Finge nunc, alterutrum ex iis, qui proximè contracturi sunt, eo ipso tempore, quo ad Ecclesiam ventum est, non sine frequentia personarum conjugii celebrandi causa, à Parocho postulare, ut confessionem suorum peccatorum excipiat, atque in sacramentali confessione aperire, se impedimento ex. gr. adinitatis detineri, ne matrimonium contrahat; poteritne Parochus contracturum graviter monere, imò & salutaribus remediis cogere, ut à nuptiis contrahendis absteat? Prudenti quidem viro superesse possent modi non pauci, quibus sine famæ penitentis detrimento eobusque differendam saltem matrimonii celebrationem consuleret, donec Pontificia dispensatio obtineatur. Duos hujusmodi modos proposuit Perez de matrimonio disp. 44. sect. 6., quorum primum est ut Parochus moneat confidentem ad votendam ad certum tempus

quo elicitò voto paràm proponat, qui vovit, se matrimonio ad certum tempus non posse contrahere; interea autem privatim curet, ut à Sede Apostolica impedimenti, quo detinetur, dispensationem obtineat. Alter est, ut, quoties aliter fieri nequeat, matrimonium juxta externum tantummodò ritum contrahatur, seposito animo consummandi conjugium, donec dispensatio impedimenti à Sede Apostolica obtineatur. At si res undecumque ad eas incitas redacta fortè sit (quòd tamen admodum raro, ac ne vix quidem contingere posse videtur) ut nullus superesse possit

commodus modus nuptiarum differendarum sine publico scandalo, vel suspicionem impedimenti, unde nonnihil confessi famæ detraheretur, hodie communis Pragmaticorum opinio invaluit, non contentendis rationibus confirmata, qua traditur, peti quantocius posse dispensationem impedimenti ab Episcopo, cui eadem dispensandi potestas in his causarum adjunctis denegari non posse videtur. Animadvertunt tamen, qui ita opinati sunt, meminisse debere contrahentes, eam dispensationem sibi in foro interno tantummodo suffragari, ac si in Romana Penitentiarum obtenta fuisset.

QUÆSTIO III.

De pœna eorum, qui neglectis, seu omissis sine Ordinarii dispensatione denunciationibus, conjugium celebrant.

Quando denunciationum obligatio tota consistit in laudatis Concilio tum Lateranensis, tum Tridentini decretis ad definiendam pœnam, qua imminet iis, qui eisdem decretis minimè obtemperant, exigenda disquisitio est ad Tridentinas ipsas, & Lateranenses sanctiones. Planè in Concilio Tridentino nihil expressè in hac parte cabetur. Tantùm in versiculo *Insper Parochum* cap. 1. sess. 24. de Ref. matr. statutum fuit, & Parochum, qui sine testium legitimorum præsentia matrimonio aduerit, & testes, qui sine præsentia Parochi conjugio intervenerint, & contrahentes ipsos, qui sine Parochi, vel testium præsentia conjugium iniverint, graviter esse Ordinarii arbitrio puniendos. At de contracti conjugii omissis denunciationibus pœna altum ibidem silentium est. Ceterum cum Tridentini Patres professi initio fuerint, in sanctanda denunciationum disciplina inherere

se vestigiis Concilii Lateranensis, investigandam erit, quænam in eo Concilio pœna præstituta fuerit, ut cum de ea constet, confirmata eadem à Tridentinis Patribus intelligatur. Distinguiamus triplex personarum delinquentium genus: nimirum Parochum, contrahentes, ac testes, qui scientes prudentes ad illud conjugium accesserint. Itaque in cap. 3. in fine de clandest. despons. statutum est, Parochum decreto inobedientem per tennium ab officio esse suspendendum, nimirum Episcopi sententia, data etiam Episcopo facultate, eundem Parochum gravius puniendi, si culpa qualitas postulaverit. Prosequuntur ibidem Lateranenses Patres, & ajunt, etiam contrahentes, licèt aliàs ad contrahendum conjugium omninò idoneos, condignæ penitentia esse subjiciendos, qua penitentia, cum non expressè definiatur, erit arbitrio Episcopi designanda. Quòd si contrahentes idonei fuerint, veluti si

ingradu prohibito constituti forent, etiam ignoranter, in vers. *Si quis vero* cautum ulterius est, ut soboles ex eo conjugio genita illegitima habeatur. De testibus nihil ibidem dicitur; neque enim temporibus Lateranensis Concilii testes adhi-

beri in conjugio oportebat. Proinde concludendum erit, eorum poenam omnino ab Ordinarii arbitrio pendere, quem admodum dici solet in ejusmodi argumentis, in quibus poena non expressè in jure constituitur, ac definitur.

DISSERTATIO QUARTA

DE PERSONIS AD CONTRAHENDUM CONJUGIUM IDONEIS.

Huc referendi sunt tituli Decretalium, de desponsat. impub., de frigid. & malef., de consanguin. & affin., de cognat. spir., de cognat. leg., de eo, qui cogn. cons. ux., de sponsa duor., de cleric. conjug., qui cler. vel vov., de eo, qui dux in matr., quam pol. per adult., de raptor., de conjug. serv., de convers. infid., & de matr. contr. contra interd. Ecclesie.

CAPUT I.

Generalia quædam præcepta ponuntur de legibus certa conjugia improbantibus.

Regula generalis est, qua omnes ad contrahendum matrimonium admittuntur, nisi prohibeantur, cap. 32. de sponsal. Prohibitio autem contrahendi matrimonii ex multiplici jure proficisci potest; in primis naturali lege, deinde etiam positivo jure, sive divinum sit, sive humanum. Et quemadmodum jus divinum duplex indicari potest, alterum in veteri testamento, quo ex. c. intra certos cognationum gradus vetitum fuit inire conjugia, Levitici cap. 18., alterum in novo, quo ex. c. præceptum fuit, ne uxor à viro dimit-

teretur, Matthæi cap. 19.; ita humanum jus duplex dicere possumus; alterum, quod ecclesiastica auctoritate constituitur, alterum, quod Principum legibus confirmatur. De ecclesiastica auctoritate satis constat ex antiquissima, & perenni disciplina, juxta quam jure optimo sanxit Concilium Tridentinum in can. 4. de sacram. matrim. sess. 24. his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in eis constituendis errasse, anathema sit.* Principes præterea aliquando suis legibus præstituisse, quinam possent matrimonia contrahere, quique abstine-

ce

re deberent, apertissimum fit non solum passim ex vetustis Romanorum legibus, verum etiam ex ipsis ecclesiasticis monumentis. Sic Siricius in epist. ad Himerium cap. 6. de vetitis Monachorum conjugii scribens publicarum legum mentionem fecit ibi: *Quod & publica leges, & ecclesiastica jura condemnat.* Eadem ratione Concilium Lateranense sub Calisto II. celebratum anno 1123. can. 3. conjunctiones consanguineorum fieri prohibuit, *quoniam eas & divina, & sacri leges prohibent*; quamobrem in veteri Africano Concilio can. 102. quædam matrimoniorum impedimenta statuiebantur, adjecta ea clausula: *In qua causa legem Imperialem petendum est promulgari.* Atque id est, uti arbitror, quod scribebat S. Thomas contra Gentes cap. 78. in Summa, ibi: *In quantum est in officium nature, statuitur jure natura matrimonium; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino.*

Qualecumque sit jus, quo certa matrimonia prohibeantur, vel certa forma in matrimoniis custodienda præstituantur, generales regulae præciendæ sunt, quibus illicita conjugia ab iis, quæ prorsus irrita sunt, secernamus; neque enim in conjugii recipitur regula, quæ in pluribus aliis viget, & quæ docet, irritum omnino esse, quod fiat prohibente lege, l. 5. cod. de legibus. Eadem matrimonium pactionibus privatorum fit, & contrahitur; at semel initum & contractum causam habet publicam, & maximè gravem; unde factum est, ut licet legumlatores expedire judicaverint, identidem indicare hominibus, ne ad certa conjugia celebranda deveniant, non semper tamen iidem eadem ipsa conjugia semel inita irritare penitus voluerunt; quasi duplex agnoscendum sit in hac re legum genus, quarum aliæ ad personas contrahentium referantur, aliæ ad contractum ipsum, & priores illicitum tantum, posteriores etiam invalidum matrimonium reddant.

Tom. III.

Perspicua sunt exempla hujus rei in omni legum genere, naturalium, divinarum, & humanarum. Postulat natura jus, ut filii familias dissentiente patre non contrahant. Postulat divinum jus, ut, qui continentiam voverunt, à nuptiis abstineant. Postulat jus ecclesiasticum, ne feriatibus temporibus nuptiæ celebrentur. Postulavit jus civile Romanorum, ne intra tempora luctus uxor vidui ad secundas nuptias convolaret. Interea verò scimus, nuptias adhuc adversus eadem jura contractas irritas nos fuisse, Concil. Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1., can. 41. caus. 27. quæst. 1., can. 10. caus. 33. quæst. 4., l. 1. cod. de secund. nupt. Nemo autem putet, id videri in conjugii penitus singulare, quod privatorum gesta adhuc sustineantur certis in casibus contra publicas legum sanctiones, imò & quoquo modo repugnare, plus valere, quod à privato gestum est, quam valeat publica legum auctoritas. Siquidem in primis observo, conjugia, quæ licet contra leges contracta quandoque subsistunt, non ideo subsistere, quod privatorum voluntas legi prævaleat, sed quod lex ipsa, ut subsisterent, decrevit, quemadmodum, ne subsisterent penitus, decernere potuisset. Deinde observo, id non esse adeo singulare, ut careat prorsus exemplo, in iis nimirum negotiis, quæ prohibenda fuerunt ob certas causas, acta tamen non evertuntur, quoties publicè expediat non everti. Interdictum ex. gr. fuerat editum à Prætorè, ne in loco publico quidquam fieret, proindeque non jure quis erat in loco eodem edificaturus. Quòd si quisquam edificasset, cogendus non erat demolire, quia prohibitorium interdictum erat, non restitutorium, l. 2. §. 17. ff. ne quid in loco publico. Aliud exemplum est in eo, qui sciens prudens ex alienis cæmentis ædificium construxit. Non jure quid em edificavit, attamen, interea publica utilitas suasit, ne ædificium deji-

N

ce-